

On mixed languages

Demo, Šime

Source / Izvornik: **Latina et Graeca, 2022, 2, 25 - 28**

Journal article, Published version

Rad u časopisu, Objavljena verzija rada (izdavačev PDF)

Permanent link / Trajna poveznica: <https://um.nsk.hr/um:nbn:hr:111:854364>

Rights / Prava: [In copyright](#) / [Zaštićeno autorskim pravom.](#)

Download date / Datum preuzimanja: **2024-07-28**



Repository / Repozitorij:

[Repository of University of Zagreb, Centre for Croatian Studies](#)



De linguis inter se commixtis¹

Šime Demo

Fakultet hrvatskih studija Sveučilišta u Zagrebu

Incipiam a quibusdam argumentis quae facile omnibus nota et manifesta sunt. Primum, linguas plerumque res esse sine difficultate distinguendas inter se. Apertum est quid sit Graecum, Albanicum, Bulgaricum aut Turcicum. Si quidem idiomata similia sunt, interdum res aliquatenus obscuratur et definitio pendet de circumstantiis politicis – verbi gratia, lingua nostra in patria vocatur publice Croatica, sed a plurimis etiam Serbo-Croatica nuncupatur. Causa controversiarum eiusmodi est haec: linguae non sunt tantum externa elementa ac regulae quae sensibus percipi possunt, verum etiam pars necessaria naturae hominis uniuscuiusque, quam propria mente et sensu quisque explicatur.

Alterum argumentum quo disputatiunculam hanc incipere velim est omnes linguas perpetuo mutari. Etiamsi mutationes tales haud possunt directo intueri, tractu temporis necessario fiunt.

Causae autem mutationum istarum inveniuntur aut intra linguam aut extra. In internis sunt leges phoneticae (ut spiritus asperi amissio in lingua Graeca – cum ἦρος fit ἡρωας – aut novorum vocabulorum creatio per derivationem); externae vero efficiuntur congressu linguarum. Vestigia linguae alterius non sunt semper perspicua: nomina translata rerum electronicarum, ut Graeca διαδίκτυο ‘interrete’ et ποντίκι ‘globulus computatorius’, confecta sunt ex iam extantibus partibus Graecis, sed ortum habent Anglicum.

Igitur, aliae linguae maximam vim habent ad idioma quodvis augendum. Verumtamen, dicendum est mixtiones linguarum extare a quibus mutationes non proficiscantur. Quandoque homines per iocum linguas consociant, ut in poesi macaronica. Praeter plurima carmina macaronica Latina, novimus aliquot Graeca. Sequuntur versus macaronici Graeco-Anglici saeculi XIX, una cum versione Latino-Anglica eodem tempore confecta:

Ἦυτε **τομκάττων** κλαγγή περι **γάρρετα** σούνδει
 Ὅτι’ ἐπεὶ οὖν **ὠλδμαῖδ’** ἔφυγον, **βροόμαν** τε μέλαιναν
 Κοιμῶνται **ροόφοισι** δόμων τερπναῖσι γύναιξι,
 Ὡς **σοῦνδεν** κλαγγή πάντων οἷς **Ἵνιόν** ἔστι
 Ἄστερος ἐν πεδίῳ, **Ραμβλήρους** ἐκπυλσόντων.
*Sicut **cattorum** clangor circum **attica** sonat,*

¹ Referat izložen na sekciji Delphi Classics Forum, održanoj unutar Delphi Economic Forum, u Delfima 8. travnja 2022. Sekcija se sastojala od pet izlaganja na starogrčkome i pet na latinskom.

*Qui postquam scilicet anum effugerunt et broomam nigram,
Dormiunt domorum roofibus cum charis wifis;
Sic sonuit noisa omnium qui Union frequentant
Stellae in campo Rambleros expellentium.*
([Thomas Jackson et al.], *Uniomachia*, MDCCCXXXIII)

Discerni possunt – omissis erroribus aliquot in textu Graeco – Anglica verba *tomcat* ‘cattus’, *sound* ‘sonus’, *old maid* ‘anus’, *broom* ‘scopa’, *roof* ‘tectum’, *wife* ‘uxor’ et alia.

His lusibus verborum breviter et ad tempus homines delectantur, nec ii fere compagem linguae ullius immutant. Id quidem vix posset fieri, quia peregrina elementa a linguis nonnisi necessitate quadam accipiuntur.

Exemplum proponam Latinitatem, quae inde ab initio Etruscis, Gallicis, Graecis augeri solita est dictis, usitatis pro rebus et notionibus ab iis populis allatis. Christiana religione passim vulgata, etiam plura Graeca elementa, additis Hebraicis, ubicunque permanarunt sermonem Latinum. Sic dicta media aetate Latinum plurima elementa modernarum linguarum ascivit, imprimis Germanicarum. Porro, Latinitas moderna, cum opus esset, uti solebat verbis sumptis e Graeco (praecipue in scientiis naturalibus) aut linguis modernis (e.g. *parliamentum*, *zuccharum*, *caffea*).

Cum tempore renatarum litterarum quidam eruditi oppugnarent accessui novorum verborum (externis inclusis) in usum Latinum, cupientes ei limites antiqui Ciceroniani sermonis imponere, philologus clarus Batavus nomine Desiderius Erasmus luculenter in suo *Ciceroniano* demonstravit sententiam istam esse absurdissimam. Probavit enim vim illam linguae, qua commercio hominum servit, praeclusis mutationibus deleri.

Saepe numero in linguas a paucis usitatas particulae linguarum vulgationum intrant, qua ratione exoritur sermo quidam mixtus, qualis est usus loquendi Italo-Anglicus qui in pelliculis de *Patrino* audiri potest. Quaedam vocabula mutuata propria sunt singulis artibus, ut verba musica e lingua Italica, verba saltatoria e Francogallica, verba informatica ex Anglica et – saltem in partibus nostris – verba autoraedaria e Theodisca.

Initio quidquid externum in lingua statim animadvertimus. Sed usu crebrescente sensim immergitur et decursu temporis vix discerni potest sive formis sive vocibus. Inde lingua mutatur, idque – quod maxime affirmo – in melius. Nisi utilis mutatio esset, sponte a loquentibus motu quodam interiore abiceretur. Si linguae cuiusvis externa elementa necessaria sunt quorum auxilio melius fungatur officio suo, accipiet.

Linguae mutuo congressu aliae alias ditant. Non tantum homines scientiae glottologicae rudes, sed etiam periti interdum mirantur cum vocabula usitatissima originis peregrinae esse cognoverunt. Sequuntur aliquot verba trita Croatica quae plurimi cives nostri e Graeco sumpta esse ignorant: *bokal* ‘crater’ (< βράκαλις), *jastog* ‘locusta marina’ (< άστακός), *kada* ‘labrum aquarium’ (< κάδος), *komad*

‘frustum’ (< κομμάτιον), *miris* ‘odor’ (< μύρον), *sidro* ‘(ferrea) ancora’ (< σίδηρος). Firma indicia demonstrant linguas externis adminiculis privatas non solum egenas, sed et usui hominum prorsus impares fieri.

Conferamus linguas mixtas cum aliis varii generis iuncturis. Animantia frigent nisi aliis animantibus commiscent. Quorum evolutio ope duorum procedit: mutationibus genetivis ac genorum mixtionibus; sine eis, organismi grandiores oriri non possent. Duorum parentum varia genidiomata, ut dicuntur, habentium opus est ut novus homo fiat, dispar utrique. Insuper, non sumus solum mixturae genorum hominibus propriorum: una vivimus cum bacteriis, viris et fungis, quae in corpore nostro numero aequantur cum cellulis nostris somaticis. Eis deletis, vita humana quam novimus esse desineret.

Hoc quodammodo etiam ad rem mechanicam pertinet. Cum aegrotamus, varia additamenta naturalia aut facticia corpori nostro inseruntur ad salutem augendam et vitam meliorem reddendam. Sed etiam de sanis fabula narratur. Ecce verba Elon illius Musk quae fecit de hominibus quam plurimis:

Hoc homines non animadvertunt – iam sumus cybernetici, quia tam penitus contexti sumus telephonis portabilibus et instrumentis computatoriis nostris. Telephonum est tibi tamquam membrum corporale adiunctum. Si telephonum ferre tibi excidit, idem est ac artu careres.

(Elon Musk, MMXIX)

Subiungit etiam Musk homines debere cyberneticos fieri; alias non erimus aequales intelligentiae artificiali, quae fortasse mox superabit humanam.

Diversitas linguarum, formarum vitae, nationum, populorum, corporum, sententiarum multiplicat subsidia ad progressum efficiendum. Diversitas nihil necessario corrumpit: immo, corruptio fit ieiuna linguae puritatis sollicitudine necnon inepto rerum alienarum odio.

Id olim nonnulli prudentes antiqui perspexerunt.

